

## † R. P. Adamus Herz.

(Prov. Amer. S. Ludovici).

Die 13 octobris a. 1925 Chicagine in nosocomio Fratrum Alexianorum mortuus est hic sodalis noster, cum e longa vita sua triginta fere et quinque annos in domo nostra ad S. Michaelem Chicagine vixisset. Corpus sequenti die in ecclesiam nostram portatum ac die 16 octobris magno populi et 45 sacerdotum comitatu exsequiis in ecclesia factis in coemeterium elatum ibique conditum est.



P. Herz e provincia Nassoviensi Germaniae oriundus erat. Ibi in Wendt dioecesis Limburgensis die 21 ianuarii a. 1847 natus est e sex germanis quartus. In studia humanitatis Hadamarii incumbere coepit, sed eis nondum perfectis mense maio a. 1866 Treviris noviciatum nostrum ingressus est et die 12 maii a. 1867 votis religiosis se obstrinxit. Studentatu Hamicoltensi, in quo deinde in doctrinas liberales et philosophicas incubuit, inquis patriae legibus suppresso cum sociis Lucemburgum concessit, ubi die 24 augusti a. 1874 ad gradum sacerdotalem evectus est. Labores vero apostolicos non in patria obiturus erat, sed in longinqua Americae continent. Cum enim a. 1875 nova provincia S. Ludovici instituta Patribus germanicis indigeret, qui fidelibus suae nationis in America incolentibus operam suam praestarent, superiores id haud aegre concedere potuerunt, quia sodales provinciarum Germaniae e patria exsulare cogebantur. P. Herz itaque a. 1875 in Americam migravit, ubi primo in domo noviciatus Annapolitana alterum noviciatum egit, quo finito mense februario a. 1876 domui ad S. Michaelem Chicagine ascriptus est, cuius fideles tum magnam partem sermone patrio germanico utebantur.

Sodalis noster, quamquam etiam e suggestu dicendi peritia et vi non caruit, tamen in s. expeditiones raro exivit, sed potius domi in animarum curam ac praesertim in instructionem catecheticam in scholis habendam, in confessiones excipendas, verbum Dei praedicandum ceteraque curae animarum munera explenda superiorum iussu incubuit. Ad quas res tractandas ingenii dotibus destinatus esse videbatur. In haec vero munia toto animi studio incubuit totaque fide officii sui optime complendi. Quod autem

aestatis tempore vacationum otii supererat, id exercitationibus religiosorum imprimis libens insumebat.

Primos itaque septem laborum apostolicorum annos in collegio nostro ad S. Michaelem Chicagine egit, ubi multi Germani habitabant, quorum curae se dedit. Ab a. 1883 ad 1890 iterum septem annos in collegio Neo-Aurelianensi sub caelo relaxanti meridiano impiger laboravit. Mense septembri a. 1890 Chicaginem ad S. Michaelem revertit et, cum duos fere annos ibi laborare perrexisset, die 12 maii a. 1892 Rector creatus est. Cum praeesset, regularum observandarum exemplo potius quam potestate omnibus praeivit, ita ut facile sodales quoque, qui Rectorem et venerabantur et amabant, ad sui aemulandi studium pertraheret. In cura animarum indefessus congregationibus praesertim catholicis novum vigorem attulit et scholam puerorum amplam erigendam ac bene omnibus, quae necessaria essent, instruendam curavit.

Altero triennio Chicagine expleto mense aprilii a. 1918 munere liberatus est, at aliud gravissimum munus sibi impositum suscepit, ut in collegio S. Clementis in oppido De Soto noviciorum magister iuvenes nostros institutione vitae religiosae erudiret. Quod magistri noviciorum munus P. Herz fide constanti exemplique vitae eximio duodecim annos continuos usque ad octobrem mensem a. 1909 obivit. Novicii choristae 86, fratres laici 19 illis quattuor trienniis eius ductu ad vitam religiosam in Congregatione votis emissis capessendam instructi sunt, qui omnes gratis animis paternam eius curam doctrinamque pietatis solidam recordantur.

Anno tandem 1909 noviciorum magistri munere exutus Chicaginem iterum concessit, ubi homo iam senex ad S. Michaelem labores suos priores repetiit. Post septem annos autem aetate septuaginta fere annorum et valitudine ingravescentibus a. 1916 in otium se conferre coactus est, ut, qui tamdiu in aliorum salute curanda laborarat, ultimos novem vitae annos ipse in mortem praeparandam penitus impenderet.

His novem annis P. Herz Chicagine in domo S. Michaelis vitam egit vere monachicam in « continua mentis recollectione », ita ut secundum illud S. P. N. Alphonsi, qui foris apostolus fuerat, iam domi carthusianum ageret. Ultimis duobus vitae annis corporis vitiis morbisque multum afflictabatur, at nemo umquam eum audivit lamentantem vel conquerentem. In doloribus vehementissimis hoc unum eum identidem dicentem ac repetentem audires: « Vere martyrium hoc est; at Deus ita me pati vult, et me obsequi oportet ». Vel graviores etiam morbi molestias ignis purgatorii instar se suspicere confirmabat. Magister scilicet noviciorum doctrinas ilicas, quibus iuvenes erudiverat, ipse penitus in animo repositas exsecutus est. Dum potuit, cotidie sacrum fecit officiumque divinum summa cum pietate recitavit. Post, cum iam non posset, meditationibus consuetis re-

ligiosissime operam dedit et diebus singulis bis saltem rosarium recitavit, unum pro officio divino, alterum regula praescriptum.

Mense iulio a. 1925 tandem, cum viribus prorsus destitutus esset et domi fratres laici deessent, qui aegroto pro morbi gravitate servirent, in proximum nosocomium Fratrum S. Alexii traductus est ibique sollicita optimorum fratrum cura orans patienterque morbi dolores ferens tres adhuc menses transegit. Cum die 11 octobris, ut solitus erat, s. communionem accepisset, postero mane paralysi, quam dicunt, correptus est, qua mortem maturari apparuit. Sacris itaque sacramentis omnibus mentis suae compos munitus est, et die 13 octobris sub vesperum sodalibus, qui frequentes aderant, et fratribus S. Alexii orantibus vocationi suaee fidelis animam optimam Deo reddidit, virtutum vero memoriam immortalem apud nos reliquit. R. i. p.!